





No. 24.

I. N. J.

DE

# MEDICI OFFICIO

DISSERTATIO SECUNDA,

*Quam*

PRÆSIDE

## JOHANNNE BOHNIO,

Medic. Doct. & Prof. Publ.

*Disquisitioni Philiatorum exponet*

## JOHANNES Brasche /

Lubecenſ. Medic. Candid.

In Auditorio Majore,

*D. 9. Aprilis 1697.*

---

LIPSIÆ,

Literis FLEISCHERIANIS.

174

ALBERTO RUCIO

DE

JOHANNES RUCIO

JOHANNES RUCIO

In Anthonio



IN NOMINE JESU!

§. 1.

**P**ostquam de doctrina seu peritia Medico necessaria, i. e. quæ callere hunc fas est, & qua ratione artis fundamenta sibi comparare debeat, in proxima dissertatione dixi, tempestivum nunc erit, prudentiam seu decorum in Medicina facienda observandum explicare. Atque hoc non illud tantum, quo ab infirmo & adstantibus confidente gratoque animo excipiatur, seu *penes vulgus opinionem captet*, ille, quod etiam medicastrosum est; dum juxta *Hipp. Leg. Vulgus per ruditatem suam tales pro Medicis habet, qui non sunt*, seu, ut idem de *vict. acut. t. 3.* ait, *Idiotæ non valde cognoscunt eos, qui in his aliis præstant, aliarumque curationum magis aut laudatores, aut vituperatores, existunt* &c. sed, quod potissimum forsan, quodque idem *Hippocrates 6. epid. s. 2. œconomiam seu administrationem circa egrotantes* ait, & per quod, explicante *Galeno comm. a. 1. medicinalibus*, quæ didicit, præceptis utatur; ut si non plebecula, rerum medicarum ignara, peritiores tamen atque prudentiores, Medicum dextre ac perite egisse, pronunciare habeant.

§. 2. Contigit præ cæteris artibus, liberalibus æque ac opificiariis magis, hoc Medicinæ perniciosum &, qui eam exercent, calamitosum, fatum, ut cujusvis ac minus competentis judicis sententiæ se suaque facta submittere adigantur, & rudiores plus, quam sapientiores, licentiam,

nescio, qua temeritate seu libidine, de his iudicium ferendi sibi præsumant, coram palamve hoc fiat: cum aliàs nihilominus *ne sutor ultra crepidam*, nec de crepidæ seu calcei fabrica præter sutores ullus sententiam dicere audeat, & hoc immunitatis atque autoritatis etiam vilissima opificia gaudeant, *Peritis in arte est credendum*. Ast, Bone Deus! quam molestam ridiculamve nos nostraque dicta ac gesta quotidie popellæ imperitioris, garrularum quoque atque ineptarum foeminarum, non experiuntur præcipitantiam? quarum censura impertinens & loquacitas inconsulta Medico plus sæpe, ac ipsemet æger, tametsi aliquando satis morosus, & morbus gravis atque pertinax valde, laboris actædii creat, per quam non tantum eum bene vel male cum hoc illove ægrotante egisse, decidere, sed omnem insimul ejus peritiam & eruditionem censere, audent. Ut plus sæpe ille sollicitus esse teneatur, non qua ratione infirmo prodest, quam quomodo aliis placeat: non quomodo illum sanet, sed ut se ab ejusmodi imperitorum ac imperitarum calumniis atque cavillationibus virulentis præservet easque declinet.

§. 3. Quia tamen clandestinum satis ut plurimum hoc medicorum forum, seu intra privatos tantum parietes exercentur ejusmodi iudicia; utut à toris puerperarum similibusque angulis per totam interdum civitatem decreta hæc insulsa publicentur: non habet Medicus peritus ac cordatus, cur ab iis animum & medicandi rationem sibi turbari patiatur; quamvis, quantum quidem fieri per rectam rationem potest, etiam ut his placere studeat, suasor essem, cum mulieres ad procurandam & despondendam medico ægrorum confidentiam quam idoneas pronubas esse, experientia loquatur, modo intra assidentium seu adstantium & ægro ministrantium terminos

minos se contineant, quibus locum juxta Medicum, non medicum munus, *Hippocr. 1. apb. 1.* concessit, non consultricum & directricum personam in se suscipiant.

§. 4. Quantum ægri in Medicum fiducia præstet & quanti momenti sit, præter *Hippocr. de Medico, Præcept. t. 4.* ubi *Medicum fide magis, quam duritie, mederi, ait,* & *6. epidem. 4.* ubi, quantum & quomodo gratificando ægris proficiat sibi ac illi Medicus, innuit, horumque commodorum quædam recenset, prolixius *Galenus* in comment. explicuit, & *Avicenna* effatum, *fidem ac spem erga Medicum & Medicinam sæpe plus efficere, quam ipsam cum Medico medicinam,* ac praxis quotidiana adstruit: id est, diversa partim in Medicum, partim in ipsummet infirmum, hinc redundant emolumenta.

§. 5. Siquidem si hic firmiter sibi persuadeat, illum ad morbum profligandum affectumve leniendum, & salutem accelerandam habilem seu idoneum existere, adeoque singularem sibi utilitatem ex consiliis & medicatione ejus promittat: morigerum seu obsequiosum magis illi se præstat & hujus jussa sine contentione vel metu capeffit. Vel, ut *Galen. in 6. epid. 4.* rem explicat: *Ægrotantes medicis, quos libenter adspiciunt (sibi gratis) magis obtemperant; at illis, quos non libenter vident homines (i. e. odiosos sibi que infestos) etsi utilia consulant, obedire tamen recusant.* Porro eadem ægrotantis confidentia etiam hunc fructum parit, quod amor, lætitia & spes, in ea concidentem, spiritus languentes excitent, sanguinem commoveant, hinc coctionem crudorum morborum juvent, & robur naturæ in depellendis affectibus præternaturalibus, ad sensum fere, augeant: dum contrarium ex diffidentia, cujus individui comites tristitia, metus atque odium sunt, timendum videtur.

non. §. 6. Quod quidem eo minus mirari vel in dubi-  
um vocare possumus, quo frequentius observamus, in-  
gentem animi affectibus potentiam in valetudine nostra  
& functionibus corporis varie immutandis subesse. Quis,  
quæso, non in semetipso unquam annotavit, quantum  
appetitus v. g. ventriculi integri fervidior à nuncio aut  
objecto minus grato ac tristi afficiatur & in momento qua-  
si prosternatur, redux seu reviviscens paulo post, discusso  
animi pathemate illo, & composita ad hilaritatem seu vo-  
luptatem magis mente? ut nihil dicam de ejusdem sto-  
machi digestionem, quam citius & feliciter absolvunt, qui  
animi tranquillioris & lætioris sunt, præ illis, qui terrore  
ac mœrore atteruntur. Et eo ipso, dum animi motus di-  
versi non minus graviores morbos aliquando solvunt, ac  
eosdem patrant, v. g. dum *Valeriola 2. obs. 4.* iram para-  
lytico motum, *Bartolinus Actor. Hafn. vol. 1. c. 81.* muto  
loquelam, restituisse, *Hildanus 1. obs. 79.* arthriticum sa-  
nasse, perhibent; terrorem vehementiorem arthritidis  
ejusdem & quartanæ paroxysmos, item tussim convulsi-  
vam infantum, profligare, quotidie observamus; con-  
trà apoplexiam ab ira frequentissimam experientia testa-  
tur, it. à terrore *Frid. Lossius 1. obs. 14.* refert, iram puer-  
peris noxiam valde, *Tulpius 2. obs. 18. & 20.* foetui in ute-  
ro epilepsiam induxisse, *Hildan. 3. obs. 8.* Cuidam artu-  
um contracturas concitasse, *idem epist. 44.* ac subitane-  
am tristitiam mortem excepisse, *Bartolinus 2. epist. 85.* per-  
hibent: nonne affectus pariter hos illosve & animæ sen-  
sitivæ voluptatis ac doloris statum, in quantum hic à me-  
dici amore odiove, seu confidentia ac diffidentia, depen-  
det, valetudinem vel in melius vel pejus mutare, hinc re-  
mediorum applicationem diversimode moderare, posse,  
nobis persuadebimus? Nimirum cum, monente Ca-  
mera-



*merario cent. 2. partic. 12. Confidentia, tanquam agens, cum salute perducenda in subiecto licet partiali, conveniat, ad tria quoque instrumenta medica (in specie diætetica) per regimen & anima accidentia referri possit, jure optimo confidentiam producere posse agri salutem, affirmatur. Quatenus fiducia vias ad interiora animi aperit, metus seu diffidentia claudit: illa facit, ut vel promptius se se exerat vis medicamenti & interiora penetret, ac naturam ad alacrius resistendum firmat: hæc illorum impetum cohibet, viresque enormius laxat.*

§. 7. Possem provocare ad praxin quotidianam, uberrime evincentem, remedia etiam saluberrima, à medico minus grato & infesto exhibita invitoque ægro assumpta rarò ex voto operari; contra minus appropriata saluti esse sapius jubere in medicum confidentiam: quæ aliquando etiam eousque se exerit, ut minus prosperos illorum successus, imo circa horum præscriptionem atque applicationem à Medico perpetratos errores, singulari moderamine adeo occultet, ut ex rudi homuncione Podalirium aut Machaonem peritissimum creet, creatumque renunciet ac proclamet; dum aliorum medelam, quam perite etiam factam, si forsan huic eventus minus respondeat, cavillant ac vituperant diffidentiores, ita etiam ut, qui Medici opera evadunt, fati seu Dei, non Medici, ope evasisse dicantur. Pariter qui Medicum favore suo comitatur, hæcenus infirmus, se à magno ac difficili morbo sedula illius opera fuisse liberatum sibi aliisque persuadet: qui illum flocci pendet aut odio prosequitur, à leviori morbo, naturæ potissimum virtute se reconvaluisse fingit & ait, Medicique molestias & curas negligit. Nisi, ut innui, commune hoc fatum Medici genuini cum agyrtis, aut hi non raro propitium magis, experirentur;  
exem-

exemplis autem negotium hoc declarare minus consultum videretur, ut hoc, forsitan non sine aliorum indignatione, in se susceperit *Wigandus*, ille *de Philiatr. german. itinerib. Scriptor, Dissert. 1.*

§. 8. Neque latere possunt dispares & tantum non inepti illi confidentiæ ac diffidentiæ, seu meræ opinionis, fructus ullum; ita ut quemadmodum de his crebro conquerendi, sic de illis sibi applaudendi, causam habeant Medici, rideat etiam aliquando cordatus illam hominum ineptam arrogantiam & præcipitantiam (ni sibi met stolide aduletur) qua in acceptis ipsi referunt salutem suam, cui tamen ne minimum hujus debent. Dolentes verò erigit *Hippocrates* sui ævi fato, *de arte & in Epistola ad Democrit.* his verbis: *Artis Medica recte facta, o Democrite, plerique ex vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis sæpe attribuant; si vero natura reluctata pendiderit eum, qui curatur, Medicos reprehendunt, Numen prætereuntes.*

§. 9. Fidem tamen veram ut sibi licite & prudenter comparet, simulque omnia, quæ sui muneris, rite peragat Medicus, cautionibus opus habet variis, commodioris doctrinæ gratia, secundum officii, quod gerit, disparitatem recensendis ac declarandis.

§. 10. Sc. haud facio cum illis, qui hoc in eo tantum consistere putant, ut valetudinis humanæ curam gerat, hinc medicinam per artem sanitatem conservandi ac restituendi definiunt, adeoque arctioribus justo limitibus circumscribunt: cum eundem Medicum reipublicæ quoque immediate magis litare, ejusque spheram & Artis ambitum latius se extendere, vel ex hoc palam fiat, quod in sententiis dicendis & suo ubique tribuendo leges publicæ harumque Administratores ad Medicorum judicia hinc inde provocare, hi vero de quæsitis illorum deponere, per

per ipsas leges teneantur. Adeo ut non incongrue for-  
san, juxta duplicem hunc scopum, Medicina in clinicam,  
seu practicam communiter dictam, & forensem divida-  
tur: hinc quædam præcepta, medici munus spectantia,  
huic circa ægros versanti, quædam in forum provocato  
seu in hoc deponenti, observanda veniant; de quibus sin-  
gulis agam.

§. II. Ubi tamen mox, ratione priorum imprimis  
cavere volo, me non ejusmodi cautelas recensitum, mul-  
to minus commendatum, iri, quæ fraudulentiam po-  
tius, quam prudentiam, sapiunt, & popularis tantum au-  
ræ aucupio inhiant, quales inter *cautelâs medicas ab Ar-  
naldo de Villa Nova* relatas, legimus; imposturas  
vocat *Langius 3. epist. 6.* ac quibus nugas suas colora-  
re, & imperitiam celare annuntur pseudo-Medici,  
cujus genii videtur ille *Gvenaut*, Parisiensis, de quo *Patin  
lettre 130.* perhibet, illum frequentius dixisse, non posse  
Medicum imperialem sibi ab ægro conquirere, nisi hic fal-  
latur. Tales siquidem artes seu tricas famam & argentum  
sibi comparandi detestantur viri honesti ac ingenui: ut ut  
crebrioris forsan usus sint, ac nonnullis feliciter satis ce-  
dant.

§. 12. *Primo* siquidem execrari decet illam non-  
nullorum impudentiam, aut, mavis, animi malignita-  
tem, per quam præ aliis emergere hosque subigere seu  
supplantare illi moliuntur: philantia nimirum, ambi-  
tione vanaque gloria inflati eos parvi faciunt, irrident,  
conviciis incessunt, cavillant, ab eruditorum candore  
abhorrent; sola sua ipsis arrident ac aliena semper despici-  
unt. Quam quidem suam amarulentiam modo coram  
& palàm, modo clam & à tergo, spirant, utrumque infini-  
tis artificiis, imò aliquando sub blanditiarum & collauda-

B

tio-

tionum singulari specie, occultant : laudant alterius v.g. eruditionem, dolent ejus in praxi infelicitatem, studiis nimis attentum ajunt, qui praxin minus curet, laudant scientiam ejus chymicam, quo abusum remediorum chymicorum commodius in eodem culpent. Aliorum frons & lingua adeo proterva est, ut dicta & facta alterius aperte, neque tamen hoc coram, taxent, quasi v.g. intempestivum propinarit purgans, minus oportune administrarit aut neglexerit sanguinis missionem &c. quod quidem majore audacia agunt, si muliercularum vel aliorum imperitorum præjudicia malevola sibi favere observent, aut ab his eorum censura petatur. Seniores juvenes imperitiæ, hi illos stuporis & novorum inventorum ac observatorum ignorantia, accusant : indocti eruditos ex capite novitatum suspectos reddere annituntur, *Es seynd neue Dinge / lassen sich wohl hören / aber in Praxi gehets viel anders.*

§. 13. Quorsum etiam refero Medici & Pharmacopæi collusiones & quæstus reciproci atque sordidi causa sancita, per Leges verò publicas ac Juramentum Promotionis illi & huic prohibita pacta: per quæ ille hujus pharmacopolium præ cæteris hujusque medicamenta ac in iis comparandis & parandis sedulitatem præ aliorum opera extollit, medicamenta seu recepta majoris precii, præter necessitatem, præscribit ac compositiones sumptuosiores adornat; contra hic Domini Doctoris praxin ad invidiam usque felicem inter Aquæ vitæ potores pronunciat, peritiam illius deprædicat, exempla ab eo sanatorum enumerat, quasi solus hic canonista de Medicorum civitatis dexteritate atque eruditione ferre possit ac debeat sententiam. Hoc est, *der Medicus und Apotheker vertragen sich wohl.*

§. 14.

§. 14. Quemadmodum pariter hujus loci, i. e. æque fordida, videtur Medicina socialis, per quam bini pluresve Medici de communi praxi paciscuntur, ita ut præter semet alios, ubi casus postulat, sibi vel substituentos, vel adjungendos, nesciant. Quorum utrumque, quia aut in ægrotantium damnum, aut cæterorum Medicorum præjudicium ac detrimentum, plus minus directe, vergit, decorum, ab Hippocrate singulis commendatum, lædere videtur.

§. 15. Cui *deinde* multum quoque derogat, Mulierculis, Obstetricibus similibusque ægrotantium parastatis nimis abblandiri, hisq; tantum non solis suam fortunam committere & easq; Hygæam adorare. i. e. per harum commendationes ac, si non fallor, patrocinia praxin quærere, seque ægris obtrudere. Technæ, quibus favorem hunc sexus sequioris nonnulli Medici sibi comparare student, infiniti sunt generis, adeoque paucos forsan harum recensere mihi integrum erit. Nimirum iisdem, præprimis quæ autoritatis conspectioris Matronæ, aut rerum Medicarum aliquam peritiam sibi persuadent, in dictis & factis, etiam absurdioribus, non facile contradicendo, earumque consilia & judicia cum submissione approbando, imo cum his interdum consultando: donec hanc de illis pronuncient sententiam, *Es ist doch ja ein bescheidener Mensch / hat N. N. eben an dergleichen Kranckheit glücklich curiret / sit ut sit; secus se exhibenti ita maledicant, der Doctor lässt sich nicht einreden / düncket sich alleine klug &c.* Inferioris vero subsellii foëminarum, v. g. Obstetricum harum amanuensium & aliarum hujus generis anicularum gratiam muneribus sibi conciliare student, eas cibando, potando, phiolam Elixir proprietatis, Matthioli aut simplicioris mixturæ aquam vitæ submini-

strando, illis gratis medendo, aurum demum & argentum porrigendo. Verum, ut ut hodie eo, proh dolor! devenerint res nostræ, ut per has agantur, & ab earum favore ac censura multorum praxis ejusque incrementa dependeant: quia nihilominus rudiori vulgo ejusmodi promachæ accensentur, *quod, observante Hippocrate, illos etiam pro Medicos habet, qui non sunt*, decretis harum meris confidere difficile atque absonum est.

§. 16. Argutiis ejusmodi practicis communiter accensent morem nonnullis solennem, quo nimirum non vocati medici ægris se obtrudunt, ædes eorum irrum-punt, pharmaca apportant & haud consulti remedia suadent, imò sanis morbum persuadent; aliquando sub singularis affectus, quo illos complectuntur, contestatione similive strophæ: ast, quia crassa nimis & rustica satis hæc impudentia & supplantandi ratio, nec argutiis dolosis accensere meretur.

§. 17. Potius *Tertio* his adscriberem, si à Medico morbus gravior ac periculosior fingatur, ac revera est, penes adstantes imprimis: & quidem eum in finem, ut, si æger moriatur, erroris suspicio ab illo declinetur; sin reconvalescant, sostrum augeat ille plusque decantet Medici laudes, si ipsi quoque reconvalescenti symptomatum, perpefforum gravitas prolixius ante oculos ab hoc ponatur & cicatrix pathetice satis refricetur. *Histrionis quippe est, ait Celsus s. cap. 26. parvam rem attollere, quo plus prestitisse videatur: id est, ex tussiente facere phthisicum, febrem tertianam simplicem dicere ardentem, scorbuticam petechialem &c.*

§. 18. *Denique* his pravis in praxi medica emergendi modis seu imposturis merito annumerantur fraudes Uroscoporum, quibus etiam talia ex urinæ contemplatione

ne

ne judicare sibi præsumunt, qualia vir prudens achonestus negligit atque detrectat, quas *Arnaldus de Villa Nova* nihilominus inter cautelas medicorum commendat, reticendas potius, quam recensendas. Quæ enim hac immanior impudentia? quisque callidior vel infanior uramantia, abusus? Dum sycophantæ & aleatores ejusmodi, strophis ac imposturis his utentes, si diis placet, sexum, ætatem, imprægnationem, membrum laborans, ubi habitet æger, an ex plaustro, an equo, deciderit similiaque præterita & futura divinant, seu hariolantur, sicque, ut in re medica plane rudes atque ignari, sanitatem magnifice promittunt, incurabilium etiam affectuum, sub capitis sponsione, hinc plebem simplicem in magnam sui admirationem rapiunt ac fidem peritorum medicorum sublestam reddunt.

§. 19. Has similesve technas nulli Medicinam facienti commendo, cautum nihilominus & sagacem in artis suæ cultu ut se gerat, negotium ejus arduum postulat, si nimirum bonam existimationem sibi conciliare ac partam custodire malit. Postquam nimirum vix ulli artificum majore circumspeditione, quam Medico opus est, qui in functionis suæ administratione tot morborum monstra, symptomatum virulentorum Lernam amplissimam, infirmorum adeo diversas complexionum acidiosyncrasias, conditiones, mores adstantium æque ac absentium malevolorum (frequentius ipsorummet Medicorum) cavillationes & censuras experitur, quibus singulis debellandis ac superandis vix semper par existere videtur.

§. 20. Illam Medici gubernationem sive cum *Hippocrate* decorum & œconomiam, sive politiam & prudentiam, dicamus, vel eo ipso tamen, dum huic semper relatio ad ægrum subest, supervacaneum censeo, eam

partem prudentiæ; quam Eremiticam seu solitariam vocat *Rodor. à Castro*, ac per quam virum bonum ille se præstat, prolixè explicare ejusque requisita recensere, ut egerunt præter scriptorem allegatum *Freitagius, Zacutus Lusit., Botallus, Septalius*, imò ipse *Hippocrates*; utpote quod Ethicorum est: sed Medicam potius, seu qua ratione se gerere debeat ille cum infirmis, assistentibus, Medicis sibi associatis & circa quaslibet à moderamine ejus dependentes res, tantum advertam, seu numeros illos recensabo, quos implere tenetur, qui Boni Medici nomen ambit; qualium nonnulli spectant habitum externum, alii mores, alii denique ipsum Medendi rationem.

§. 21. Et primo quidem *Hippocr. de Medic. t. 1.* valetudinis propriæ curam ipsi commendat, id est, *ut videat, quo bono colore & bona ac carnosâ corporis habitudine præditus sit*, eamque hunc ægrotantibus non leviter commendare ait, *existimantibus eos, qui non bene dispositum corpus habent, neque aliis prospicere posse.* Adhæret ipsi *Galenus 5. de sanit. tuend. 1.* dum nonnullos, qui de sanitate conservanda scribunt ac disserunt, *nec se ipsos quidem defendere à morbis perpetuo potuisse, ut à Cavillatoribus*, inter alia, *ipsis objiciatur: ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἔλκεσι βρωῶν*: quemadmodum, ut cæteros mittam, *Jerem. Tbrivierium, Lovaniensem*, dixisse legimus, nihil infelicius esse ægrotante Medico, propterea, quod omnibus in promptu sit tritum illud: *Medice cura te ipsum*, perinde ac *Sulpitius* ad Ciceronem rescribens, *malos medicos*, ait, *qui in alienis morbis profitentur, se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt.* Quamvis secus sentire videatur *Plato 3. de republ.* Medicum sibi eligens, qui ab ineunte ætate, præter discendæ artis studium *inter multos ægrotantes conversetur, & ipse omni morborum genere laborarit, natura-*  
*que*



*que imbecilla esset : neque enim, addit, corpore curat, sed animo.* Sicuti pariter unum atque alterum valetudinarium memini, qui Medicos sibi exoptabant, paribus cum ipsis affectibus chronicis pressos, v. gr. calculosus calculosum: quasi nimirum hi morborum ac symptomatum rationem exactius dignoscant, infirmis magis condoleant, languentibus sedulo & promptius succurrant, ac de remediis & eventu, in semetipsis expertis, certiores hæc præscribant atque exhibeant, ægrorumque animos obfirmant.

§. 22. Qualem nihilominus prærogativam seu peritiæ gloriam nemo sanæ mentis ac corporis Medicus desiderabit, hujusque dura nimis foret conditio, si ex propria demum & inhærente infirmitate alienam metiri, & per experientiam adeo molestam ac periculosam peritiæ & famam sibi formare & comparare deberet. Neque, quam experientiam intestinam *Plato* advertit, adeo necessaria est, cum ex aliorum ægritudinibus assiduo medendi usu eandem abunde assequi posset: nec tandem, ut per individua demum sui calamitatem hujusque reminiscantiam, ut aliis promptius prospiciat, stimuletur, quem pietas & charitas Christiana movet, aut movere decet. Et stat penes plerosque sine dubio infirmos sententia, illum, qui sibimet mederi nequit, nec alios, eodem vel quovis malo decumbentes sanare posse: *Curet primo se, & tunc me illi dabo:* ne tanguam, ad studiorum & praxeos labores sustinendos firmam satis requiri valetudinem. Hallucinatam proin in hoc selectu dicerem *Platonem*, utut *Rodericus à Castro Med. polit. 2. cap. 15.* eum defendere satagat, quasi effato suo non tam ad doctrinam ac decorum, quam ad experientiam & commiserationem, Medici respexerit: dum idem *Plato* adjicit, *neque enim corpore curat, sed animo.*

§. 23.

§. 23. Non parum proin ad Medici existimationem comparandam & conservandam faciet, ut hic propria valetudinis ante omnia curam gerat: vel ne sui, hinc aliorum quoque, negligens, vel artis, quam profitetur, imperitus, putetur, v. g. si, juxta *Galenum*, scabie, unguinum pilorumve capitis affectu, morbo articulari, laboret. Aut, si quando periodicis morbis tentetur, monente *Septalio animadvers.* & *caut. med. 1. §. 3.* cur hos evitare nequeat, ostendat, simulque quali diata & qualibus remediis eos superet. Neque dedecori aut contemptui ipsi erunt ex causis inevitabilibus magis evenientes, v. g. notante *Galeno 1. a. febris ex aestu, frigoribus, lassitudine aliisque id genus occasionibus*, item pathemata, ex artis officiis horumque molestiis, v. g. itinere, vigiliis, operationibus Chymicis ac miasmatis ægrorum ac defunctorum pravis seu foedis, contracta, dum e. g. perhibente *Tulpio 4. obs. 8.* carcinoma mammae ulceratum Dominae ancillae non tantum mammae, sed ipsius Medici gutturi quoque perniciosum existebat; & *Thomson*, Anglus, à dissectione peste defuncti virulentiam eandem contrahebat. Quae illum magis à culpa vindicabunt, quam si ab intemperantia eum agrotare, constet, quibus aliorum objurgationem utique meretur: sunt quippe hi ex illis, qui juxta *Demosthenem* aliis melius consulunt, quam sibi, salutemque suam negligunt, alienam curant. Quemadmodum nec vitio illi verti poterunt morbi conati & per infortunii casus quoscunque illati: dum cum cæteris mortalibus eodem fato aut fragilitate gaudent.

§. 24. Alterum externorum, quo opinionem Medicus captet, vestitum seu ornatum amictus cum odoribus ait *Hippocrates de Medico* pariter ac *de decente ornatu & 6. epidem. 4.* ubi tonsuram & unguium curam addit: quale

quale nihilominus decorum ad prudentiam potius civilis, quam Medicam, spectare autumo. Breviter E. momente *Galeno 6. epid. 4.* vestitus sit mediocris, cum valde splendidus & sumptuosior justo fastum atque arrogantium, sordidior & lacerus amictus vilitatem ac sorditiam, ostendat: *nisi ager ipse immoderatus aut preciosa vestimenta amet, aut sordidis oblectetur; tunc enim à mediocritate ad illud, quod egroto magis placeat, descendito &c.* et si communiter

*Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus*

*Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.*

§. 25. Potius cuncta ejus externa ad munditiam componantur, manus & facies sordibus minus incrustata, & pura cernantur, item, juxta *Ovid. 1. de arte,*

*Et nihil emineant, sint sine sordibus, ungues.*

imò, notante eodem *Galeno 1. a.* nec de unguibus, scabie, pilorum affectibus aut alio id genus vitio turpi sermonem penes infirmos faciat. In specie circa odorem corporis & anhelitus sit cautus, qualis quemadmodum nonnullis natura vel vitio intrinseco putidus contingit, ut testatur Medicus ille Asiaticus, axillarum odore tetro molestus, & alter anhelitus foetorem spirans, quorum idem *Galenus loc. cit.* meminit; aliis per incuriam & intemperantiam contrahitur, v. g. ab allio & coëpis assumptis, hodie ab aqua vitæ & fumo nicotianæ haustis: ita Medicus horum gnarus aut ab invisendis agris aliquando abstineat, aut, si non vera, palliativa tamen, cura fracedinem ejusmodi emendet, seu mitiget, quod de iisdem Medicis olidis *Galenus* perhibet, ægroto non adeo appropinquet, similive arte foetores suos occultet, abstineat vero ab usu ejusmodi rerum, quæ nauseabundum odorem spirant. Sicut nec vini odorem omnes æque facile ferunt valetudinarii, ob-

C

fer-

servante Hippocr. de Dec. ornat. t. ii. & Galeno l. a. & posterior cujusdam Medici Romani, Quinti, exemplo comprobatur; qui, cum à prandio Magnatum quendam, febre ingente cum capitis dolore decumbentem, visitaret, hincque vini odorem exhalantem ægre toleraret, ab hoc, ut longius aliquanto recederet, quam humaniter rogatus, quod vinum immoderatus redolens ipsi molestiam crearet, stolidè ipsi respondit ac præcepit, ut æquo animo hunc odorem ferret; nam & se quoque ægrotum ex febre male olentem sustinere, multum autem interesse, febrim ne quis, an vinum, redoleret.

§. 26. Temperet nihilominus Medicus clinicus sibi ab odoramentis suavioribus nimis, penes fœminas imprimis ac quosvis tenerioris cerebri texturæ homines; potissimum cum nonnullos per idiosyncrasiam hoc vel illud odoriferorum genus abhorrere, hisque non minus suaveolentia, quam graveolentia & fœtida, si non exitiosa, molesta tamen, existere observetur. Dum fragrantiam Zibethi, Moschi, Ambrae &c. paucissimæ fœminæ, puerperæ imprimis, sine supervenientibus lipothymiis, strangulatibus hystericis aliisque symptomatis tolerant: & puerperarum quatuor à Medici chirothecarum, ambra delibutarum, odore syncope correptas & post diem expirantes *Zacut. Lusitan. introduct. ad prax. præcept. ii.* perhibet. Nosse se homines, qui rosæ odorem, tanquam capitalem inimicum, prorsus odio habeant, *Botallus de Medic. & agrimuner. §. 25.* testatum facit, eo, quod capitis dolorem ipsis concitet, vel sternutamenta moveat, vel naribus tam molestum pruritus inducat, ut bidui spatium ab earum frictione se continere nequeant: qualem pariter antipathiam ad rosarum suaveolentiam olim in *le Febure*, Chymico Regis Angliæ, Caroli secundi, peritissimo ac celeberrimo

berrimo annotavi, qui cum inter operationes Chymicas Rosas quondam uberius tractaret, hoc infirmitatis inde contraxerat, ut postmodum à florum horum odore mox animo linqueretur. Contrà ambra & moscho foeminas quasdam delectari, à castorei graveolentia lædi, experientia docet: simili modo, ac de carnificis quodam ser-vo refert *Salmuth. 3. obs. 71.* eum à pharmacopolii, quod intrarat, aromatum, similiumque fragrantium anathy-mias deliquium animi passum fuisse, à quo non aquarum cordialium & apoplecticarum, oleorum, balsamorumve applicatione, sed cloacæ demum olidæ graveolentia, excitatus fuerit; cui forsan naso par ille Stabularius, cujus *Hoffmannus Inst. med. 5. cap. 40.* ex *Solenandro* mentionem facit, qui febricitans in conclavi aëris purioris male, in stabulo uliginoso & fracido melius, se habebat. E. juxta *Hippocr.* odores gratos equidem medicus spiret, quod hi ægros recreent: *unguentis tamen hunc in finem non suspectum odorem ad omnia habentibus utatur.*

§. 27. Ast his requisitis prolixius immorari vix consultum duco, ad mores potius, quibus tertium locum *Hippocrates* concedit, transitum facturum, quos vel cum Christiano s. cive bono communes, vel sibi proprios magis, habet ille: priores leviter & non, nisi quatenus hujus functionem spectant, lustraturus, ne Theologorum aut Ethicorum cathedram petere videar.

§. 28. Ita pietatem & cultus divini studium, quod in illo præter *Zacutum Lusit.* alii vehementer satis urgent, argumentis multis commendare, supervacaneum puto, cui nempe cum Christianis res est: hujusque religionis medicum quemlibet admonebit vel *Hippocrates* gentilis, *de Dec. ornat. t. 6.* Etenim scientia de Diis vel maxime animo ipsius implexa est, etenim in aliis affectionibus, & in

*Symptomatis accidentalibus Medicina erga Deos valde reverenter se habere comperitur, Medici vero Diis concedunt; Non enim est potentia in ipsa redundans. Et graviter peccant illi, qui arti & eruditioni suæ turgescenti arroganter satis salutem reconvalescentium primariò adscribunt, plus huic & sibi, quam benedictioni divinæ, à qua nihilominus omnis medela, Medici & medicamentorum vis, confidentes: cum tamen, monente *Freitagio noct. medic. c. 2. necessarium maxime sit, ante omnia cum divini numinis imploratione medicina usurpanda initium facere, ut & medicinam facienti, & remediis, in usum fragilitatis humanae ex terra gremio ubertim conditis & benigne profusis, legitime utenti divina opituletur benedictio. Nam**

*Ni Deus adfuerit viresque infuderit herbis,*

*Quid, rogo, Dictamnus, quid Panacea, juvat?*  
*Perinde enim ac Ase, Israëlitarum Regi, vitio vertitur, quod medicis auxiliis plus, quam Divina benedictioni confisus, illa præ hac imploravit, ac ob id spe sua frustratus periit; ita nec medicus arti ac peritia suæ plus, quam benignitati divinæ confidere debet: nisi salutem ægrotantium suamque existimationem & fortunam negligat, aut vana jactantia summi Numinis iram irritare malit.*

§. 29. Annuat his *Arnoldus Villanovanus* l. a. ubi Medicum in promittenda ægris salute justum postulat, i. e. qui non promittat sanitatem, sed fidelitatem & diligentiam tantum; quia *aliter faciens extirparet divinum officium & faceret Deo injuriam.* Et, juxta *Brun. Seidelium de morb. incurabil.* absurdissimum & stultissimum censerit debet, in promissione salutis excipere causas naturales & adjuvantes aliàs, v. g. obedientiam ægri, diætam strictiorem & similia; non vero excipere causam omnium supremam ac potentissimam, quæ cunctas reliquas moderatur  
&

& macrocosmum æque ac microcosmum sola integrum conservat.

§. 30. Pietate ejusmodi instructus Medicus precum piarum & animæ curæ admonet quoque infirmum, ad quem ingreditur, juxta illud *Siracidis cap. 38. Fili mi, ne negligas hoc, in infirmitate tua ora Dominum, & ipse sanabit te. Avertere à peccato &c.* & illud *D. Jacobi, Apostoli, cap. 5. Infirmatus quis in vobis adducat presbyteros ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, ut convalescat.* Hinc *Augustinus* quoque scribit: *Qui sine Salvatore salutem vult habere, non sanus, sed æger, non prudens, sed stultus, in egritudine assidua laborabit.* Qualis tamen Medici religiosa admonitio sub circumspecta lenitate & sine rigore fiat, minus interim neglecta aut prorogata medela corporis postulata.

§. 31. Neque enim, monentibus nonnullis, si admonitus infirmus hæc negligat, confiteri v. g. nolit, Medicus hanc differat aut recuset, quia adhortatione illa, quod Christiana charitas & religio jubent, sufficienter egit: & metuendum, ne, si à medela justo diutius abstineat, hic forte moriatur desperatus, qui sanatus poterat salvari. Potissimum cum ejusmodi genii atque ingenii non rarò offendamus ægrotos, qui mortem plus, quam Christianum, metuentes auditis ejusmodi amicis, vel Medici, vel adstantium, admonitionibus corpore & animo contremiscunt, & desperatum omnimode morbum judicant, omnem mox in Medicum fiduciam abjiciunt, imò in hunc invehuntur. Unde suasor essem, ut Medicus non ipsi infirmo, sed hujus necessariis & assidentibus tantum, suam de animæ cura mentem aperiat, ut hi (forsan facilioris admissionis) illum ad eam disponant ac præparent: *Quam-*

vis hos interdum æque stolidos, ne dicam, impios observemus, ut medici monitum superciliose negligant, quasi tali argumenti genere non conturbandus & contristandus sit æger, illumque limis satis intueantur.

§. 32. Post pietatem primum & amplissimum inter mores medicos sine dubio locum tenet Humanitas seu comitas, qua, seu merendi studio, in omnes, præcipuè peregrinos ac egenos, exemplo *Hippocratis* atque *Empedoclis*, si quando se ferendi opem occasio obtulerit, utatur Medicus. Nam si, advertente *Valeriola 4. enarrat. 10. erga homines amor atque humanitas adfuerit, erga artem idem amor comparebit*: facitque hoc pium juvandi studium non ad opinionem tantum, sed autoritatem quoque comparandam.

§. 33. Declarabit hoc primo promptiore accessu, dum defectus promptæ voluntatis in operibus charitatis, perinde ac officii, erroribus omissionis accenseatur, quibus ut plurimum aliquid, si non doli, certè culpæ, videtur subesse: quatenus occasio præceps, in morborum medela magni momenti, hac ratione aliquando negligitur, transacta oportunitate applicandorum remediorum. Nunquam tamen, nisi vocatus, accedat, multo minus invito se obtrudat ulli; ne aut levitatis & avaritiæ culpam reportet, alteri forsan medico præjudicet, & lucrum potius suum, quam ægri salutem, anhelare videatur, incertus hinc maneat de hujus confidentia, quiq; qui propter ejusmodi visitationem inexpectatam sibi, se medici ope indigere, vix persuadet. Nisi forsan casus seu occasionis exigentia aliud jusserit, v. g. si quis ex improvise ægrum, cujus infirmitas nullas inducias patitur, aliorum auxilio destitutum &c. offendat; quam capillatam arripere tenetur Medicus probus, ut minus postulatus.

§. 34.



§. 34. Machinarum, quibus ægris quidam se obtrudere solent, nonnullas superius indigitavi, cunctas, quia plerasque ignoro, nunquam addiscere volui, recensere nequeo, plurimum autem productione nemini offendiculo esse cupio. Casibus vero conscientia quod adscribitur, problema potius: an Medicus omnibus, qui consilium & opem ejus desiderant, mederi teneatur? solvendum aggredior: postquam nimirum multis, sapientioribus quoque, persuasum esse deprehendi, si non per justitiam, certe per conscientiam, Medicum, ut quibusvis postulantis operam suam præstet, obligari. Cum nihilominus haud appareat, an committendo, an omittendo, peccet is, si secus faciat: nisi medicos hoc servitutis peculiare habere fingam, ut ad aliorum nutum, *Er hat gleichwohl das Vertrauen zu ihm/* se totos & solitarie convertant; adeoque rem meræ voluntatis, moralitatis & conscientia fieri patiar.

§. 35. Suppono, postulari Medicum in oppido, v. g. ubi plures Medicinam faciunt, hinc ob assistentiam à vocato denegatam nullum periculum vel damnum infirmo evenire: quemadmodum pariter ægritudinem non adeo urgentem, quin alius Medicus advocari oportune seu tempestive satis queat, i. e. moras aliquales quæ patiatur. In quibus casibus liberum ipsi puto medelam suscipere ac detrectare. Contractum qui iniit, hunc servare obligatur; aut contrahere, in cujuslibet potestate est. Stipulatur ad tacitum contractum medicus à medelam postulante: integrum nihilominus huic relinquitur jure naturali, se obligare aut non obligare postularis. Quid obliget E. medicum, ut cuivis operam ejus roganti assurgat, non apparet: nimirum nec natura, nec lex, nec contractus, multo minus postulatio seu confidentia ægri; cum ad felicio-

liciozem medelam etiam confidentia medici requiratur,  
qualis cogi nequit.

§. 36. Non detrectet tamen unquam operam suam Medicus propter vocantis egestatem, cui opitulari, imò de suis ipsi largiri charitas Christiana jubet, secundum *Codronch. 1. de Christ. med. ratione cap. 19. Rod. à Castro Medic. polit. 3. cap. 21. & Boudewyns Ventilabr. med. theol. part. 1. quest. 46.* jubet idem *Hippocrates de præcept. t. 5.* ne tumulo ejus inscribantur versiculi *Buchanani*, exequiis fune-  
ris *Jacobi Sylvii*, magnæ aliàs eruditionis & famæ Medici ac Professoris Parisiensis, dicati:

*Sylvius hic situs est, gratis qui nihil fecit unquam,  
Mortuus, & gratis quod legis ista, dolet.*

Quamvis nec ad omnium pauperum curam Medicum obligari, ex *Navarra manuali Zachias quest. med. legalium lib. 6. tit. 1. quest. 8.* ostendat: nimirum illius tantum, quem probabiliter existimet, nisi ei præsidiiis medicis succurratur, moriturum; cui non adsit alius, qui hoc faciat, nullusque reperiat, qui pro eo mercedem solvat, nec habeat, unde ejus necessitati subveniatur, veluti sunt *Xenodochia publica*. Quibus conditionibus mihi addere liceat, teneri etiam per conscientiam Medicum ad pauperis medelam, licet hujus infirmitas non fuerit mortalis, modo ad labores & alimenta acquirenda eum ineptum reddat, hincque gravior evadat ejus paupertas: item, quamvis alii quidem adsint, qui ipsi succurrere queant, hoc tamen non agant, aut inter alumnos publicos ille non recipiatur, ideo forsan, quod ante sui receptionem non queat præstare præstanda.

§ 37. Ex quo supposito solve quoc; licet aliam, casibus conscientie pariter adscriptam, quæstionem: An sc. Medicus æqualem, seu parem curam omnium suorum ægrorum, sine per-

personarum exceptione, gerere debeat? Nempe cunctis utique, quibus operam medicam promisit, quorumve medelam in se suscepit, cujuscunque conditionis ac sortis sint, hanc præstare obligatur, consulendo, præscribendo & administrando illa, quæ proficua, affectui solvendo congrua & necessaria judicat: adeoque errorem omissionis perpetraret, qui v. g. Principi aut Primario cuidam civitatis Viro medicinam faciens, leviter ægrotanti, tenuioris fortunæ hominem, graviter & ad mortem ægrotantem, ut illi accuratius ministretur, deserat huncque negligentius tractet. Eo ipso tamen, dum infirmorum quidam aliis dignitate potiores, aut reipublicæ quocunque modo magis utiles, quod in sano sensu ad ditiores quoque extendi solet; quidam nobis propinquiores seu necessarii magis, v. g. parentes, filii, fratres, cognati atque agnati; aliis propter merita, officia atque amorem magis obstricti sumus: his majorem curam & sedulitatem, imo servitia, debemus, præ minorum gentium & exteris seu alienis magis, quique nulla humanitatis officia nobis præstiterunt, hominibus, juxta illud *Augustini 1. de doctrin. Christ. Omnes homines æque diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum oportunitatem constrictius tibi, quasi quadam sorte, junguntur.* Et inepte, annotante *Boudewyns part. 1. quest. 36.* ratiocinatur vulgus, dicens: *Si divites essemus aut in honore positi, promptius & melius hic inserviret nobis:* cum nihilominus etiam ipse charitatis ordo postulet, ut consanguinei & cognati præponantur externis, & à quo plus beneficiorum accepimus, illi plus debeamus.

§. 38. Ita ut non per rationes politicas, sed Theologicas quoque, æquum videatur, nos, cæteris paribus,  
D plus

plus obligari sub medicinæ administratione his, quorum merita vel respublica, vel nos nostrive experti sumus. Quod quidem præstabimus, nihil, ut dixi, necessariorum penes aliquos negligendo, sed præter hæc alios præ aliis officiis humanitatis ac obsequii plus minus devinciendo, v. gr. frequentius eos visitando, medicamenta aliquando ipsis porrigendo &c. imo hos illis, si utrisque subvenire non æque queamus, præponendo. Et sic contra justitiam distributivam minus peccabit Medicus, inæqualem diverforum ægrorum curam habens, quatenus, juxta *Thomam*, æqualitas justitiæ distributiæ in hoc consistit, ut diversis diversa, secundum horum diversitatem & proportionem tribuantur.

§. 39. Quadrat huc scrutinium quæstionis, an desperatorum curam prudens suscipere queat, aut teneatur, Medicus? Cui sine dubio occasionem dedere ex Veteribus *Hippocrates* præprimis, *Galenus* ac *Celsus*, ut *Ætium* & *Avicennam* taceam. Quorum prior *de arte t. 4. 13. & 23.* nefas esse putat, ægris morbo victis seu deploratis remedia præscribere atque porrigere; repetendo idem *1. de morb. t. 5. Non recte fit, si, quæ sanatu impossibilia sunt, te sanaturum, recipias.* Quale effatum *Galenus* quoque scriptis suis, v. g. in *1. apb. 8. 2. apb. 29. & method. med. 11. cap. 9.* firmatum posteris commendatum voluit, à *Celso* levatus, qui *5. cap. 26. prudentis hominis ait, primum eum, qui servari non potest, non attingere.* Quos nihilominus Medicorum principes, pro humana forsan pietate resipiscentes aliter nonnunquam egisse & sententiam suam justo duriores mutasse, ex diversis eorum locis colligere est. Dum *Hippocrates* in *librorum epidemiorum* historiis nunquam omnem animum abjecisse, nullumque infirmum, quem per artem divinatricem insanabilem & deploratum  
judi-

judicaverat, prognostico absolute reliquisse legitur: quem-  
admodum *Galenus* pariter 10. *method. med.* 10. ubi ad *Thucy-*  
*didis* consilium in *marasmode bectica*, cui *salutis ratio aut*  
*nulla, aut dubia est, agentes aliquid periclitari, & neces-*  
*sum bis adversus pericula ire*, arbitratur; atque dum *Cel-*  
*sus* 2. *cap.* 10. *melius esse*, inquit, *anceps experiri remedium,*  
*quam nullum*, & 3. *cap.* 9. *fere, quos ratio non restituit, te-*  
*meritas juvat*, adeoque priori suæ sententiæ contradixisse  
videntur.

§. 40. Unde factum, ut loca, quibus desperato-  
rum curam disuadent hi Medicinæ primores, nonnulli  
commentatorum minus attendenda esse monuerint, quasi  
scriptorum gentilium & ab omni pietate Christiana alie-  
norum, ac quos ad suam & artis famam magis, quam ad mi-  
serorum adjutorium, respexisse, ex consequentibus eo-  
rum verbis palam fit, dum hac ratione præsidia, quæ mul-  
tis profuere, apud vulgus infamari, & medicum speciem  
occisi subire, quem fors peremerit, asserunt; quod præ-  
ter *Avicennam* & *Aëtium* *Guido de Cauliaco* in *prefat. seu*  
*capitulo universal.* innuit, ubi, *cave à malis curis*, fatur,  
*ne nomen mali medici subeas*. Alii antinomias eorundem  
Scriptorum diversimode explicare & conciliare attenta-  
runt, ut videre est penes *Reies Elys. camp. jucund. quest. 15.*  
ast non æque adæquata semper ratione. Solidius & stre-  
nuius forsan negotium hoc aggrediuntur, qui partim in-  
ter morbos desperatos, partim horum tempora, partim  
inter remedia, distinguunt, & casibus hinc diversis forma-  
tis controversiam dirimunt.

§. 41. Quippe primò morbos deploratos nuncu-  
pare convenit, vel simpliciter incurabiles, v. g. confor-  
mationis morbos connatos, vulnera cordis, sphacelum,  
phthisin & hydropem consummatum, cancrum exulcera-  
tum,

tum, podagram nodosam &c. quorum sanatio ab arte seu industria humana nunquam expectari poterat: vel ut plurimum tantum tales, v. g. vulnus epatis aut cerebri profundius, ventriculi, epilepsiam adultiorum, quo suo modo partus etiam cæsareus spectat, quos rarius & non, nisi difficulter admodum, sanari, quorumve sanationem monstri medici nomine communiter exprimunt. Quibus accedunt tertio affectus, quos per accidens tantum desperatos dicere solent: nimirum quorum, per se quidem curabilium, remedia ad manus non sunt, vel æger morosus atque inobediens illa non admittit.

§. 42. Nullum horum Christianus Medicus dimittere incuratum valet, ob rationes insequentem, in specie verò nec absolute lethaliter decumbentem, vel ideò, ne viva apprehensione & mœrore ægri terminus fatalis anticipetur, quique corpore tantum hætenus laboravit, in animi etiam mœrorem conjiciatur; cum ægro nihil crudelius, quam Medicum desperantem & ab omni medendi conatu desistentem videre, accidere possit: adeoque in ejusmodi casu hic manum non tam deneget aut subtrahat, quam blande subducat. Sin morbus quidem non absolute lethalis, incurabilis tamen omnimode sit, v. g. calculus vesicæ, cancer, arthritis consummata, liberius ac securius ab hujus curatione abstinere licet, addita etiam, si cum sapientiore nobis res fuerit, ratione; quia à desertione hac nihil majoris mali facile metuendum: imò ut tibi tunc indignetur æger, aliorumque auxilium hinc inde quærat, frustraneum tamen hoc cum aliorum pollicitationibus vanis expertus, & sumptuum atque curationis molestiarum pertæsus, ad te tuamque sinceritatem revertetur, tuamque prudentiam, si non lingua, certe animo, extollet.

§. 43.

§. 43. Quamvis in utroque hoc casu sub hoc moderamine, ut de primarii morbi curatione desperans Medicus, symptomata nihilominus aliquatenus & eoque leniat, quo ab horum gravitate paulo levatus, aut placida magis morte defungatur juxta illud:

— *Requiem tamen indere morbo,*

*Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.*

aut dolore atrociori similibusq; symptomatis gravius afficientibus, somnum interrumpentibus &c. mitigatis patienter magis ferat malum, quod ipsemet incurabile judicat. Quippe & hoc in Medico & Arte laudatur, si his tantum medeatur, quatenus *Seneca de vita beat. cap. 17. de arthritidis suæ inveteratæ sanatione omnimoda quamvis desperans ita nihilominus scribit: Non perveni ad sanitatem nec perveniam quidem, delinimenta magis, quam remedia, podagra mea compono, contentus, si rarius accedit, & minus verminatur.*

§. 44. Quod verò alterum genus morborum attinet, quod naturam aliquando mirabiliter & præter omnem spem sanare, multifaria comprobata experientia, huic omnimode manum admoveat Medicus, id est, excitet ac adjuvet illam: quo sua arma, nobis omniumque ingeniorum solertiæ incognita, in morbum, tanquam hostem sibi juratum, potentius vibret: forsitan, si pariter non ipsi morbo primario, certe hujus symptomatis ac viribus prospiciendo, impedimenta obvia removendo. Neque enim gravitas morbi ac difficultas curationis, & quod hujus generis affectus rarius sanetur, Medicum peritum deterreat, sed potius eo ipso, dum *Cuius potest accidere, quod cuiquam potest*, omnem lapidem movebit, ne naturæ, adiutorium ejus postulanti, deesse, ab atrocitate morbi fugari ac urgente malo & invalescente hoste arma projicere videatur.

§. 45. Sed quoad morbos, quos non tam illorum habitudo seu gravitas, quam ægrorum morositas atque intemperantia plus minus deploratos reddit, quorum exempla, quia quotidiana, non attendimus, unicum ex *Celso 3. cap. 21.* adducere conveniet. Hydropem sc. facilius superare servos, quam liberos, hujus aliorumque scriptorum communis est observatio: quod ad hujus medelam strictior, inter alia, præprimis quoad potum, desideretur diæta, cui se accuratius mancipare coguntur illi, præ his, quibus inutilis ac damnosa libertas est; neque hi quidem, qui ab alterius jussu dependent, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque refert, Medicum quendam Regis Antigoni non ignobilem, amicum hujus, notæ intemperantiæ, hoc morbo non mediocriter implicatum, sanari posse negasse, quem alius Medicus se sanaturum pollicebatur; respondisse verò huic eum ad morbum, se ad animum, ægri respicere: neque hunc rem fefellisse. Hydropicum quippe illum, quamvis cum summa diligentia, non medici tantum, sed regis quoque, custodiretur, nihilominus malagmata sua devorando bibendoque (aliis denegatis potulentis) suam urinam, in exitium sese præcipitasse. Neque hos tamen sine consilio & ope dimittat Medicus probus, & si ad errorum in victu similibusq; emendationem adhortetur, ea remedia pro re nata & congrua proponat, officio pariter ac conscientia suæ satisfaciet, ut ut non intentioni; querulum & immorigerum ægrum ferendo, eique, juxta *Senecam*, modo remedia monstrando, modo inculcando: cum difficile sit quenquam invitum sanare, contra multa, desperata credita, aliquando succedant, & largiente eodem *Celso*, *sæpe pertinacia juvantis malum corporis vincat.*

§. 46. Deinde distinguere convenit inter morborum

rum



rum momenta, seu morbos eousque desperatos, ubi functionum & naturæ virtutis omnimoda dejectio, sub pulsu intermittente, asphyxia, sudore frigido, stertore spuma circa os &c. non mortem tantum imminentem, sed fieri ac præsentaneam, significat: & inter eos, quibus e quidem diversa lethalitatis signa, urinæ nimirum crudititas pertinacior, deliria, sensus & motus ablatio, convulsiones uno verbo, morbi vehementia & maximus virium defectus subsunt, res tamen nondum adeo, ac in illis, conclamata, sed ambigua tantum spes videtur. Ubi in priore casu nulla præsidia administrari debent, utpote omnino inepta ac frustranea, & à quibus nihil levaminis nec in corpus nec animum ægri, morientis jamdum, redundat, nec mali quid ab horum denegatione percipit: in posteriore verò ægrum deserere nondum tempestivum, sed remediis adhuc insistere nihilque in ancipiti etiam casu intentatum relinquere fas erit; si non, ut ægrum orci faucibus eripiamus, certe ut, quemadmodum superius dictum, eundem tranquilliores reddamus, symptomatum asperitatem leniamus, & cui vitam largiri seu conservare non poteramus, monente *Seneca 1. de ira 6.* facilem forsan exitum præstemus.

§. 47. Porro nec *tertio* quibusvis sub ejusmodi rerum statu remediis conceditur semper locus, nempe generosioribus & cum evidente periculo combinatis: quod *Galenus 12. method. med. cap. 4.* innuit, & in ægro morituro nullo generosiore præsidio uti præcipit: ne hujus vehementia periisse dicatur, quem morbus sustulit. Quamvis aliquando magnorum & momentosorum quoque remedium usus, si salus non omnimode desperata, concedi debeat, v. g. in angina tracheotomia, in partu difficili hysteromatocia, in suffocationis metu vomitorium & Ve-

næ-

nafectio, juxta illud *Celsi*, melius esse anceps aliquod experi-  
ri remedium, quam nullum, & *Galen. 10. meth. med. c. 10.* ubi,  
quanto satius est, scribit, aliquid nonnulla fiducia vel cum  
periculo facere, quam spe adempta certo perire: tanto pro-  
fecto satius est, potentibus præsiidiis pugnare, quam nihil age-  
re, modo spes aliqua adhuc si non declinandæ mortis,  
prorogandæ saltem salutis, compareat.

§. 48. Fallite quidem Medicos nonnullos adeo sua  
meticulositas, ut sibi consultius ducant, in casu ancipiti à  
momentosis remediis abstinere, ne mortem accelerasse  
videantur: ast eo ipso, dum, juxta *Hippocr. de leg. 3. timi-  
ditas impotentiam artis* penes hos arguit, maxime caven-  
dum erit, ne, dum indemnitati infirmorum tutioribus  
præsiidiis nimis litamus, potentiorum necessariorum in-  
terim neglectu periclitari sinamus eorum salutem, ean-  
demve nefarie succidamus, adeoque exitiabiles æque me-  
dentis sint blanditiæ, quam vehementia præsiidii. Cum  
juxta *Senecam* & in ipsa desperatione extrema remedia ten-  
tanda sint: quatenus leviores maculas equidem aqua  
mollior eluit; sed ubi altius insedit vitium, acrius adhibe-  
tur cum sapone lixivium, transitque à medicamento ad  
ferrum, à ferro ad ignem Hippocrates non in affectibus  
levioribus, sed gravioribus, i. e. quibus nec pharmacum,  
nec ferrum sufficiebat.

§. 49. Variis Scriptorum & praxeos quotidianæ  
historiis illorum, quibus ancipiti morbo decumbentibus  
anceps remedium salutariter cesserit, ad minimum vitæ  
terminum prolongarit, assertum hoc confirmare super-  
vacaneum credo; singulorum unicum tantum, propriæ  
observationis, recensebo. Vocatus superioribus annis in  
agrum vicinum, ut mederer Viro, stirpe & munere Gene-  
roso, qui post alia valetudinis fata corripiebatur dolore &  
tumo-

tumore abdominis, hypochondrii præprimis dextri, im-  
menso, hinc febre continua, vigiliis, dispnoea, tussi variis-  
que atrocioribus symptomatis, quæ Medicus ordinarius  
hactenus cuncta flatuosa & hypochondriaca crediderat,  
adeoque clysteribus eluere, carminantibus & confortanti-  
bus demulcere frustra curaverat. Inveniens miserum hunc  
sub gravi huc symptomatum syndrome tanti langvoris,  
ut præfagiū pessimum penes omnes, imo etiam Medicum  
pristinum, esset, ac indagine solertiore deprehendens  
malum primarium inflammationem musculorum abdo-  
minis, qualem *Galenus 5. de loc. aff. 7.* in Stefano quodam &  
*Valeriola 4. obs. 5.* in foemina annotarunt, suppuratam, si-  
mulq; incertus, an inter musculos hos ipsos, an inter hos &  
peritonæum, sanies stagnaret, in quo posteriore casu, si  
differatur auxilium, peritonæi perruptio & puris in abdo-  
minis cavum defluxus metuendus erat: hæsitantibus Me-  
dico & adstantibus, quasi de re conclamata, scalpello a-  
postema mox incidi jussi, cum euphoria & insequente  
hanc salute ægri. Pari ratione egi aliquando cum juve-  
ne empyiico, Xenodochii nostratis alumno ex pleuritide  
suppurata desperato, quem carnibus & viribus à tussi & fe-  
bre hectica consumptum & strangulationi proximum of-  
fendens, ejus spatium intercostale quintum sinistrum eo-  
dem ipso momento perforari curavi, eductoque sensim  
ac successive pure graveolente in ancipitio constitutus  
ancipiti hoc remedio ab interitu vindicabatur.

§. 50. Quin vero aliquando auxiliis medicis vitam pro-  
rogare ac mortis impetum sufflaminare liceat, partim illa  
hecticorum consummatorum therapeia evincit, quam vel  
ideo *Galenus 10. met. b. med. 10.* commendat, si *maluerit fortasse  
propinquorum aliquis atq; etiam egrotus ipse aliquo spacio in  
senis habitu vivere, quam illico mori*: partim itidem quoti-  
E dia-

diana edocemur praxi, ex qua meminisse quadrabat viri  
cujusdam ascitici (olim & alia occasione jamdū à me com-  
memorati) qui suffocationem momentaneam fere expe-  
ctans, administrata & repetita pluries paracétesi, eductisq;  
hujus ope per vices ultra centum & viginti libris aquarum  
à mense Maji ad Novembris medietatem nihilominus su-  
perstes, aliquandiu etiam cum virium & carniū quasi  
nova accretione, appetitus ventriculi atque habitus flori-  
dioris restauratione, conservatus fuit.

§. 51. Quibus suppositis, non pro Christiana tan-  
tum pietate, sed humana quoque charitate, ægris, etiam  
declamatis pro modulo subvenire convenit: si non, ut  
à morbo liberentur, saltem ut hunc cum morte mitius  
ferant, & in hujus articulo quasi constitutos non omnis  
spes decollet: utpote quod laudabilius erit, quam in tan-  
to agone infirmum sine levamine, cum crudelitatis nota  
relinquere. Idem quoque arguit illorum, quibus jam-  
dum sandapila parabatur, inopina salus, qualium exem-  
pla hinc inde legimus & observamus: cum iniquissimum  
videatur, advertente *Quintiliano declam. 8. desperatum vo-  
care, quoties remedium Medicina non invenit*, quatenus,  
quæ hominis potentiam superant, Dei nihilominus omni-  
potentiæ subjiciuntur, cujus decreta legibus medicis fir-  
miora longe. Accedente potissimum judicii nostri im-  
becillitate & in præsagiis eruendis vacillatione adeo fre-  
quente, cui minime tantum tribuere licet, quasi necessa-  
rio evenire debeat hoc, quod ex infidis signis augura-  
mur. Cujus rei experientia convictus *Hippocrates 2. aph.  
19. acutorum morborum prædictiones salutis & mortis non  
omnino certas* pronunciat: ac neminem in praxi versatum  
latere potest, multoties ægros derelictos & mortuis ad-  
scriptos, præter omnes prognoseos regulas ad vitam redi-  
re

re ac reconvallescere, v. g. juxta *5. apb. 1. & 2.* convulsi ab hypercatharsi & vulnere, graviter in cerebro & ventriculo sauciati. Et quemadmodum à febris acutis nonnulli cum signis satis salutaribus interficiuntur, sic alios quoque eorum sub periculosissimis symptomatis reconvallescere, experientia loquitur: ut aliorum generum morbos, gravissimos maxime & desperatis omnimode adscriptos, taceam, à quibus nihilominus liberari multos, infinite historiarum testantur; forsitan quia, annotante *H. Augenio l. a. quidam re ipsa deplorati dicuntur; quidam sensus judicio, cum revera tales non sunt*, quod eximio casu confirmat idem. Ægrotantem nimirum quendam, Callium dictum, febris acuta, sævis comitata symptomatis, laborantem, ac pulsu ex propria natura gaudentem maxime obscuro & vix sensibili, simulque vasis urinariis præter naturam constitutis, Medici periti, constitutionis tamen ejus individualis ignari, v. g. Consalvus Barreda, Modestinus & Petrus Franciscus, moriturum prædixerant, ex pulsu nempe debili & urina perpetuò cruda: quibus accedens Augenius, hominis naturam individualem cognoscens, contraria usus prædicendi ratione adæquatis remediis eum ad sanitatem perduxit. Quemadmodum E. secundum Hippocratem & Galenum inter usus prognosticæ partis reliquos etiam hic est, ut Medicus à culpa internecionis liber maneat: sic, quamdiu prædictio ejus non infallibili gaudet certitudine, sine dubio peccat, si pro morbi, anticipitis eventus, aversione nihil omnimode egerit, seu curationis dubiæ nullum plane periculum fecerit.

§. 52. Imo, cum judicium de periculo ægrotantium petatur ex collatione morbi seu symptomatum atq; virium, vix autem aliquid reperiat, unde in ejusmodi casu certior possit depromi de harum statu conjectura, quam à

juvantibus ac nocentibus, ita ut illæ, quamvis ad extremum langvidæ videantur, tales tamen non observentur, medicis auxiliis tentatæ ac confirmatæ: vel hujus tentaminis saltem gratia, & quo habitudo virium, Medico hæctenus non omnimode perspecta, innotescat, aliquid moliri & de virtutis conditione periculum facere, consultum erit, illi præprimis Medico, qui infirmi nullam hæctenus habuit notitiam, nec cui licuit vel ab hoc ipsomet, vel ab adstantibus, illam capere.

§. 53. Ratio vero, cur declamatis medela dene-ganda, quam *Hippocrates*, *Galenus*, *Celsus* aliique promunt, unica hæc est, ne minus secundus inter medendum eventus medici errori attribuat, hicque culpam homicidii incurrat, artisque potentia suspecta reddatur, haud tanti est, ut hujus intuitu omnem deponat humanitatem ac pietatem, metuendo nimis calumniatorum linguas conscientiæ suæ notam inurat & charitatem Christianam negligat, quale quid illi Medicorum Principes, suæ & artis existimationi magis, quam adjutorio proximi, dicteris his suis prospicientes, egisse videntur. Sunt ejusmodi exprobrationes atque reprehensiones à popella tantum rudi metuendæ, quarum invasiones *Hippocrates* quoque in *epist. ad Democrit.* se sustinuisse conqueritur his verbis: *Et ego sane mihi videor majorem reprebensionem, quam honorem, artis me affecutum esse.* Et nonne idem *Hippocr. de arte t. 13.* etiam ab his, qui victis à morbis curam adhibere nolunt, medicinam vitiligatorum scrupulosiori censuræ & ludibrio exponi, tradit? atque hoc quidem non tam per rationem ab eodem adductam, sc. quasi leviores & illos tantum morbos sanare aggrediantur, qui per se ipsos seu à natura fuissent sanati, illos verò, qui auxilio opus habent, seu graviores, non attingant; cum nihilominus artis sit,  
omni-

omnibus æque morbis sanitatem adferre : quam vel id-  
eo, quod frequentius eveniat, ut quem ægrum, quasi mo-  
ribundum & desperatum, derelinquit Medicus, edentula  
superveniens anus aut cujuscunque generis medicafter,  
modo aliquid inutile ineptumque moliatur, & sub his  
ineptiis ille aliquales vires recipiat ac paulo melius se ha-  
bere incipiat, sanasse credatur, subsannetur per con-  
sequens & irrideatur ille, quasi imperitus, ac agyrta mul-  
to inferior habeatur & proclametur. Qualis tunc in Me-  
dicum & ejus artem, quam ægro illi detrectarat, existima-  
tio, qualis autoritas?

§. 54. Omnem interim Medicus, deploratorum  
medelam in se suscipiens, imperitiæ suspicionem & calu-  
mnam declinabit, si, dum hanc aggreditur, affectus gra-  
vitatem & vitæ discrimen, si non ægro, saltem adstantibus,  
exponat, ex consilio nimirum *Celsi 5. cap. 26.* qui, post-  
quam eum, qui servari non potest, non attingendum mo-  
nuerat, prudentis pariter putat, *ubi gravis metus, sine certa  
tamen desperatione, est, indicare necessariis periclitantis, in  
difficili rem esse : ne, si victa ars malo fuerit, vel igno-  
rassè, vel fefellissè, videatur.* Quod idem Scriptor *2. cap.  
10.* Venæsectionis exemplo declarat, *Boni nimirum medici,  
ait, ostendere, quam multa spes sine sanguinis detractione  
sit, faterique, quantum in hac ipsa re metus sit : Et tum de-  
mum, si exigatur, sanguinem mittere.* Sicut etiam *Hippo-  
crates prognost. 1.* ubi prænotationis & prædictionis apud  
ægrotos vim innuit, Medicum etiam morituros æque ac  
servandos prænoscentem & prædicentem ab omni culpa  
exortem futurum.

§. 55. *Sanos siquidem facere omnes ægrotos, jux-  
ta eundem Hippocr. alleg. loc. impossibile est,* hinc medici  
munus seu scopus non sanationem tantum involvit, sed,

E 3

qui

qui eorum ad sanationem suscipiendam plus minus habiles sint, i. e. artem vincant, etiam exponere; i. e. inter partes Medicinæ æque refertur prænotrix ac curatrix. Quo stante & advertente *Seneca 7. benefic. cap. 13.* medicus, si fecerit, ut sanaret, i. e. si eorum, quæ in artis potestate sunt, ad sanandum nihil omiserit, partes suas peregit, quatenus etiam damnato reo *Oratori stat eloquentia officium, si omni arte usus est.* Quippe juxta *Philosophum 1. Rhetoric. 1.* Opus medicina non est facere sanum, sed usque quo fieri potest, istuc perducere: & monente *Scaligero 1. de plant.* qui morbi sunt incurabiles, extra artem sunt. Quid mirum? sunt enim extra Naturam.

§. 56. Fluctus in simpulo, juxta *Lindanum*, excitare videntur, qui cuncta viventia subjectum medicinæ ajunt, adeo, ut brutis quoque medeatur, seu Veterinarium agat, Medicus, volunt, inter quos sine dubio primum locum tenet *Job. Phil. ab Ingrassia*, dum Mulomedicinam unam eandemque artem cum nostra proprie dicta Medicina constituere, peculiari commentario ostendere conatus fuit. Quemadmodum olim *Hippocrates* Hippiatricam seu Veterinariam conscripsit, quem secuti alii ex Græcis non minus ac Latinis, inter quos *Theomnestus Absyrtus, Demetrius, Diophanes, Antolius, Vegetius, Columella, Rigaltius, Angel. Bargeus, Aurifaber, Rusius, Job. Ruelius*, Græcorum hujus argumenti commentatorum fidus interpretes &c. quod negotium neglexerunt Moderni, paucissima tantum ejus hinc inde suis scriptis inferentes; neq; hæc quidem, nisi quatenus vel theoriæ, vel praxi nostræ Medicinæ aliquid lucis fœnerantur, dum v. g. *Willisus cerebr. anat. cap. 20.* morbi cujusdam fœtidi equorum, Pani appellati, & hujus singularis Medelæ meminit, ut succo nempe nervoso aliquam probabilitatem lucretur.

§. 57.



§. 57. Ingrassiæ sententiam amplectuntur nonnulli ex recentioribus, v. g. *P. Laurembergius Portic. Æsculap. cap. 11. & Plempius fundam. med. 1. cap. 3.* subjectum Medicinæ princeps quidem Hominem, adæquatum tamen animalia cuncta, ne dicam, ad *Plempii* mentem, vegetabilia quoque, pronunciantes adeo quidem, ut horum posterior ipsam veterinariæ exercitationem Medicum non dedecere, asseruerit; licet prior eandem ab hujus dignitate alienam & nefas dixerit. Controversiæ theoreticæ me implicare nolo, multo minus affirmantium argumentorum ventilationem in me suscipiam: cum posito & concesso, adæquatum Medicinæ subjectum animalia cuncta existere, nulli tamen Medicorum exercitium mulomedicinæ decorum, sed hoc liberalitati ac auctoritati artis multum derogare, puto.

§. 58. Quemadmodum se minus perperam egerunt *Hippocrates, Demetrius, Columella &c.* in conscribendis de re Veterinaria libellis, sic nulli nostri ævi vel Medico, vel Philosopho, indignabor, si paria tractet, & experimenta hujus generis vel propria, vel ab aliis tradita, in aliorum utilitatem colligat atque edat. Neque his, quod neminem cujusvis conditionis dedecet, vitio vertam si rerum œconomicarum studiosi, vel suis, vel amicorum, vel aliorum, Magnatum æque, ac rusticularum, pecoribus & quibusvis animalibus domesticis morbofis, quasi aliud agendo, prospiciant, remedia innuendo, diætam dirigendo &c. Sicut autem nec Hippocratem, nec alios hujus generis Scriptores olim ζωιατρικῶν exercuisse evinci potest, nec de ullo tot seculorum forsitan Medico constat, qui sordidius hoc opus, vel lucri, vel gratiæ Magnatum, causa, in se susceperit, aliisve suaserit, quin potius eos omni studio dehortarit, v. g. *Laurembergius, Conringius & Linda-*

*Lindanus*; neque *Carol. Ruinum*, Equitem Bononiensem, v. g. quod *Equorum Anatomem ac Medicinam* ediderit, aliosve Viros Generosos atque Illustres, qui similia conscripserunt, veterinarios se cuiusvis præstitisse probabile est: pariter nec ullius Medici cordati verique existimationi congruit *κτηνιατρειαν* administrare, multo minus bestiis clysteres injicere, obstetricari similemve Chirurgiam facere.

§. 59. Hippiatricam equidem Commentariis Hippocratis illatam legimus, inde autem, quasi idem ad ejus exercitium filios artis adegerit, minime inferre licet: imprimis cum in cæteris suis libris ne verbo quidem illius mentionem faciat, nec in ullo horum, ne quidem *Isagogicorum*, in quibus de *Oeconomia Medici* egit, *Medicinæ* bestiis administrandæ præcepta tradat. Vereor potius, ne quem per adulationem ac submissionem hanc nimiam, affectum & gratiam sibi conciliare annituntur ejusmodi Mulomedici, advertente *Galeno 6. epid. comm. 4. t. 9.* in contemptum abeat; perinde ac illis, *qui tum dicentes, tum facientes omnia ad delectandum vulgi existimationem venantur, etiam satellites ac scurras inter coenandum agentes*, quos idem *Galenus Prænot. cap. 1.* emphatice describit: quale quid sane hoc nostro ævo magis metuendum, ubi Medici cum arte sua fabula fere evaserunt. Imò deniq; si decorum ex Legum tenore æstimandum, vel eo ipso, dum privilegiis seu prærogativis, medicis veris concessis, minus gaudent Porculatores ejusmodi, tanquam mechanici, v. gr. transferendi salarium ad suos hæredes, vel à republica vel privatis constitutum, quantumvis illi multum ante tempus finiti ministerii decesserint, ut penes *Carrarium de medico & illius officio, part. 3. §. 116. 131. & 151.* videre est: videntur abjectioris conditionis medici brutis juxta homines, quam his solis, medentes, sibi que & suis famam æque ac commodum derogant.

DA A 6540

ULB Halle 3  
002 937 247



Sb.

Witz





No. 24.

I. N. J.  
DE

# MEDICI OFFICIO

DISSERTATIO SECUNDA,

*Quam*

PRÆSIDE

## JOHANNES BOHNIO,

Medic. Doct. & Prof. Publ.

*Disquisitioni Philiatorum exponet*

### JOHANNES *Grasche*

Lubecenſ. Medic. Candid.

### In Auditorio Majore,

*D. 9. Aprilis 1697.*

---

LIPSIÆ,  
Literis FLEISCHERIANIS.

